



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXV. Propriæ Manûs, Pedis, Oculi Scandala rescenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCXXV.

*Propriae Manûs, Pedis, Oculi
Scandala ressecanda. Marc. 9. v. 42.*

PUNCTUM I. *Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi, debilem intrare in Vitam, quam duas manus habentem ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguatur. Marc. 9. v. 42.* Idem de pede altero amputando, & de oculo eruendo sub ejusdem pænæ, iisdem verbis ter repetitæ, comminatione ibidem dicitur. Sensus autem horum verborum est, quòd aliquis potius deberet velle carere alterutro horum membrorum, quàm ex incauto illius usu, peccandi occasionem sumere. Et quòd homo per diligentem custodiam sensuum istorum, atque per hoc, quod ijs ad bonum tantùm & non ad malum utatur, moraliter iisdem privare se debeat, ut sic tantùm unum oculum, manum, pedem censeatur habere. Observa autem, quàm necessaria sit hæc Spiritualis membrorum amputatio, cum ijs, qui illam intermittunt, tam gravis pænæ periculum intentetur. Tanta nimirum est illius necessitas, ut si ea omittatur, infallibile sequatur periculũ certi lapsûs in peccatũ mortale, quod per neglectam externorum sensuum custodiã incurritur. Hanc adhibe, & noxium Membrum amputasti; ac Gehennæ certum periculum evasisti.


PUNCT. II. Per prædicta membra Corporis adverte designari etiam quædam quasi membra Animæ. Intellectus enim & Phantasia per oculum; affectiones &

& inclinationes voluntatis per pedem; actiones potenti-
 arum, Voluntatis imperium exequentium, per ma-
 num designantur. Hæc omnia continuæ Mortifica-
 tionis cultro putanda sunt. Intellectus inhibendus à
 judicijs temerarijs, subijciendus veritatibus Fidei, di-
 rectioni Superiorum, & Ducum Spiritualium. Vo-
 luntas Divinis, & Superiorum placitis conformanda.
 Potentiæ cæteræ ab omni actione illicita, vel pericu-
 lola inhibendæ.

PUNCT. III. Considera, vermem non morien-
 tem esse continuam & perpetuam tristitiam de amif-
 sis Bonis, & Felicitate æterna; nomine ignis inextin-
 guibilis comprehendi omnem pœnam sensûs, eam-
 que esse æternam. Hanc duplicem pœnam damni &
 sensûs compara cum quacunque delectatione scan-
 dalum præbentis membri, ut veritas verborum Chri-
 sti pateat; maximè verò ex eo, quòd delectatio fit
 momentanea, pœna verò æterna, eò quòd ignis In-
 ferni non habeat vim corrumpendi, sed quasi con-
 servandi, sicut sal vulneribus inspersus simul cruciat,
 & à putredine servat; estque proinde ignis instar salis,
 quo damnati velut victimæ Divinæ Justitiæ aspergun-
 tur: quemadmodum Levit. 2. v. 13. victimæ sale a-
 spergi jubentur. Quam similitudinem Christus l. c.

subjunctis verbis expressit apud Marcum: *Omnis*

enim igne salietur, & omnis victima sale
salietur. v. 48.



Q 5

MEDI-